



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 53. Petrus de Medicis flecti nescius.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

aggregaturum. Verbo, totum negotium Sæcul. XV.  
 brevi mōra maturatum est, ad quod A. C. 1493.  
 Ludovicus, necessaria pecunia Alexandro  
 Papæ mutuo data, trecentisque lancea-  
 riis recens conductis, operam suam impendit, ut Venetos foederis legibus sibi adstringeret. Interea vero idem Petro Medicæo auctor erat, ut neutrius partis studia amplecteretur, eo consilio, ut facilliori negotio dissidia, quæ inter foederatos forte exoritura essent, componere posset. Hanc in rem Petro significari iussit, Papam, si libuerit, nullo labore Florentinorum foedus cum Neapolitanis everfurum; illius enim ditiones ex æquo inter hos atque illos interjacere, medjæque esse, non tamen eandem situs opportunitatem Florentinorum & Mediolanensium societati suffragari, cum eorum status proxime conjungerentur.

## §. LIII.

*Petrus de Medicis flecti nescius.*

**A**st arctior erat Petri Medicæi cum Ferdinando amicitia, quam ut ejusmodi rationum pondere dissolveretur. Quare Petrus dimisso Ludovicî Oratore unice eo curas intendit, ut cæpta consilia ad effectum deduceret. Hac Petri repulsa Ludovicus non nihil turbatus, omnem spem in Venetorum auxilio reposuit, quos

*Hist. Eccles. Tom. XXX.*

*L1 armis*



Sæcul. XV.  
A. C. 1493.  
armis potentiores quam Florentinorum Rempublicam noverat: Igitur suos Oratores ad Venetos ablegat, qui ad Senatum admissi exponebant, Florentinorum foederi fortiorem opponendam esse armorum societatem, eique Papam prompta voluntate accessurum: Huic, si Veneti sua quoque jungerent auxilia, certo Italiae quietem reddendam fore, cum Foederati hostibus potentia superiores evaderent. His auditis sperabant Veneti, quod ipsis imperii sui fines protendendi occasio offerretur, atque ex Neapolitanorum ac Florentinorum spoliis pinquiorem portionem aucupari possent, eoquod ipsi soli auxilia longe validiora, quam Papa unacum Ludovico suppeditare valerent; igitur hac spe freti, benignas Ludovico aures præbebant. Nec tamen ultimum hac in re responsum dare præcipites festinabant, veriti, ne Pontifex, ut non raro solebat, datam fidem frangeret.

## §. LIV.

*Fœdus inter Papam, Venetos, & Mediolani Ducem.*

Tandem Ludovici consiliis cedere decreverunt Veneti, postquam ex urbe Constantinopolitana nuncium acceperant, quod Bajazethes in illos bellum pararet: Nam